

Dissertatio inauguralis, medica, de fluxu muliebri menstruo morbisque inde oriundis ... / ex auctoritate ... Johannis Wesseli, ... eruditorum examini submittit Thomas Coe.

Contributors

Coe, Thomas, 1704-1761.
Wessel, Johann, 1671-1745.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Joh. & Herm. Verbeek, 1728.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vstehnxu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS;
M E D I C A,
D E
FLUXU MULIEBRI MENSTRUO
MORBISQUE INDE
ORIUNDIS.

QVAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. JOHANNIS WESSELI,

S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN ILLUST. ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARII, ET ECCLESIAE IBIDEM PASTORIS;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examini submittit

THOMAS COE, Anglo-Brittannus.

Ad diem 31 Augusti. 1728. horâ locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. & HERM. VERBEEK. 1728.

17
THE SECRETARY OF THE
TREASURY
OF THE
UNITED STATES
OF AMERICA
WASHINGTON
D. C.
20548

DEPARTMENT OF THE TREASURY

OFFICE OF THE
COMPTROLLER OF THE
TREASURY

UNITED STATES OF AMERICA

DEPARTMENT OF THE TREASURY

OFFICE OF THE
COMPTROLLER OF THE
TREASURY

WASHINGTON
D. C.
20548

UNITED STATES OF AMERICA

DEPARTMENT OF THE TREASURY

OFFICE OF THE
COMPTROLLER OF THE
TREASURY

WASHINGTON
D. C.
20548

UNITED STATES OF AMERICA

DEPARTMENT OF THE TREASURY

OFFICE OF THE
COMPTROLLER OF THE
TREASURY

WASHINGTON
D. C.
20548

UNITED STATES OF AMERICA

DEPARTMENT OF THE TREASURY

OFFICE OF THE
COMPTROLLER OF THE
TREASURY

WASHINGTON
D. C.
20548



DISSERTATIO INAUGURALIS
 MEDICA,
 DE
 FLUXU MULIEBRI MENSTRUO
 MORBISQUE INDE
 ORIUNDIS.

Omnipotens Ille ac sapientissimus Naturæ Auctor, dum rerum Universitatem conderet, certas Leges, quibus cuncta corpora parere voluit, constituit. Ex iis aliæ generales sunt, omnibusque corporibus convenientes, uti Gravitatio; aliæ magis particulares, quæ quibusdam duntaxat congruunt corporum classibus, quales sunt Animalium Proprietates, quæ ea ab aliis corporibus distinguunt. Leges vero, quæ ad Animalia pertinent, vel omnium Animalium communes sunt, ut motio & sensatio; vel singulis speciebus propriæ, quales sunt varii in variis Animalibus observandi sagacitatis gradus, variaque, pro varia, quam cuique Deus assignavit, vivendi ratione, iis tributa corporum structura. Homini demum,

A 2

præ-

præter eas quas memoravimus, aliæ adhuc magis peculiæres leges sunt datæ, quæ cum in excelsiore gradu collocatum Brutis animantibus secernunt; cujusmodi sunt major sagacitas, loquendi & ratiocinandi facultates: ut alias ei proprias tum Corporis tum Animi dotes præteream. Neque diversis modo Animalium speciebus, sed diversis etiam eorundem sexibus suæ Leges sunt attributæ.

Hoc imprimis locum habere videmus in *Mulieribus*, quarum corpora ea Lege fabricata sunt, ut, si sanæ sint, & iusta ætate, nec gravidæ, nec lactantes, menstruæ sanguinis per vasa Uterina evacuationi subjiciantur. Hæc autem evacuatio a stata, qua recurrit, temporis periodo, Mensium sive Menstruorum nomen est sortita.

De Mensibus igitur acturus, primum recensebo eorum *phænomena*; deinde de eorum *vitiis*, *morbisque* inde oriundis dicam.

C A P. I.

Mensium Phænomena.

§. 1. *Prima* eorum *Eruptio* (saltem in hisce regionibus) intra annum ætatis decimum quartum & decimum octavum plerumque fit; interdum, licet raro, anno uno aut altero maturius tardiusve. De insolentioribus exemplis, qualia sunt, quibus Menses accidere perhibentur anno α quarto, aut non ante viceſimum β quintum, & id genus alia, quæ facile possent ex Auctoribus colligi, nil attinet dicere, quippe quæ ad curiositatem potius fovendam, quam ad scientiam augendam sint comparata.

§. 2. Per unum plerumque aut alterum ante fluxum diem, corpus plus minusve male se habet. Varia autem sunt *symptomata*

α Tulp. Observ. Med. Lib. 3. Obs. 36.
eolluy. &c. serof. p. 129.

β Carol. Piso de

tomata, quæ fæminas hoc tempore pro vario corporis temperamento solent invadere. Frequentiora sunt per totum corpus, præcipue autem ad Lumbos, Coxas, & Inguina *gravitas & lassitudo*, dolor quandoque & *æstus harum partium*, *cephalalgia*, *appetitus remissio*, *nausea*, *pallor* &c. Ex his nonnulla, ut & alia forte, singulis periodis menses vulgo comitantur: sunt tamen fæminæ, quibus adeo robustus obtigit corporis habitus, ut absque ulla prorsus molestia peragatur fluxus. Hæc symptomata majora plerumque ac diuturniora sunt ante primam eruptionem; interdum & adeo gravia, ut Chlorosin, aliosque, ad quos temperies propensior est, morbos progignant. Post Mensium autem inchoatum cursum insignis contingit temperamenti mutatio, unde morbi quidam præsertim pueriles & interdum depelluntur. Vel (ut Dureti verbis utar) *δ Morbi congeneres & qui cum ætate simul accrescunt ac σύντροφοι nominantur, libera & liberali purgatione quiescunt.*

§. 3. Ad *quadagesimum* & ulterius, etiam usque ad *quinquagesimum* ætatis annum continuatur fluxus: tum vero penitus cessat. Sed & hic quoque magna occurrit varietas. In quibusdam enim fæminis citius finitur, anno nimirum trigésimo: vel trigésimo quinto; in aliis longius per aliquot annos, viz. ad sexagesimum vel & septuagesimum prorogatur: interdum etiam, quanquam raro id fiat, post aliquot annorum intermissionem & recurrit. Quo citius Menses fluere incipiunt, eo cæteris paribus citius desistunt: sed eorum principio aut fini non magis est certus aliquis terminus constitutus, quam hominum staturæ, temporive quo quis ad summum suum incrementum sit perventurus.

Neque desunt Auctoribus memoratæ fæminæ quædam, quibus nunquam contigit Purgatio Menstrua, quæ tamen

A 3

in-

γ Hippoc. Aph. §. 3. n. 28. Cæl. Aurelian. cap. de Epilepsia. δ In Coac. Prænot. p. 456. ε Forest. Lib. 28. Obs. 3. ζ Acta Philosoph. Anglican. No. 337. Timæi Cas. medicinal. lib. 4. Cas. 14. η Fabric. Hildan. Cent. 2. obs. 61.

integra valetudine usæ fuerunt, nonnullæ etiam & liberos pepererunt. Sic refert Fernelius *θ Mulierem* (inquit) *vidi, cui nunquam vel Menses, vel aliud quicquam fluxit ab Utero, ac nihilominus bene habita & prorsus incolumis annos vixit circiter sexaginta.* Meminit quoque Fabricius Hildanus, fæminam quandam quadraginta annos natam Menstruis prorsus immunem, quæ tamen septem liberorum mater fuerat. Sed hæc rara sunt exempla, nam generatim & universe loquendo, Menses tum ad sanitatem, tum ad conceptum sunt necessarii.

§. 4. Communis Mensium *Periodus* est viginti octo vel triginta dierum; quam & plerumque accurate observant, nisi eorum cursus aliquo modo, qua de re infra dicetur, interruptus fuerit. Cæterum variæ in variis fæminis per totum vitæ curriculum, & in omnibus fere diversa ætate, hæc periodi sunt. Quibusdam enim vicesimo quoque die Menses solenniter recurrunt. Fuere & quibus bis in mense fluxerunt. Aliis autem *Periodus* ultra mensem extenditur. Et propemodum in omnibus cum Menstrua primo incipiunt, rarior eorum *periodus* est, & paulo inæqualior, ad duos forte vel tres, interdum & ad sex menses prorogata; donec procedente tempore intra unius mensis spatium coërcita fuerit. Tum vero Menstrua eodem tenore vices suas peragunt, donec prope exactus sit eorum terminus; quo fere tempore adeo rursus inæqualiter fluunt, ut fæminæ nonnunquam eo errore inductæ, se ideo gravidas credant, quod fluxus tam longas ultra solitam *periodum* moras trahat.

§. 5. Fluxus *duratio* intra dierum, a duobus ad sex, spatium plerumque terminatur. Est ubi ad septem vel octo, idque certo ordine & statis cujusque periodiviciis extenditur. Et quemadmodum in variis fæminis contingit hæc diversitas; ita quoque in una eademque fæmina, varia pro diversa

θ Patholog. lib. 6. cap. 16. *ι* Cent. 5. Obs. 41. *κ* Bonet. Med. septent. lib. 14. Obs. 12.

versa ætate fluxus duratio erit, præsertim si insignis aliqua accesserit temperamenti mutatio.

§. 6. Quod ad sanguinis menstrui *quantitatem* attinet, ea quoque pro ætatis differentia, disparique vivendi ratione, in eadem fœmina varia est: in diversis vero fœminis multum diversa. Ad hunc modum primis in periodis quantitas inæqualis, largior modo, modo tenuior est: sæpe quidem parva, interdum tamen major in prima eruptione quam postea unquam. Cum vero ad ἀκμὴν fœmina pervenerit, quantitas fere eadem permanet, donec ad exitum spectare Menses incipiant, ac tum eorum copia magis inæqualis quam in primis periodis evadit, nunc admodum exigua, nunc larga ac Lochiorum æmula. Præter autem hanc, ab ætatis scil. discrimine ortam differentiam, plurimæ aliæ sunt causæ ex quibus quantitas diversis periodis variare potest: velut si fœmina nunc liberiore nunc parciore cibi potionisque copia, aut exercitatione solita maiore minoreve utatur. In diversis autem fœminis, non minus quantitas, quam periodus, varia esse potest. Neque facile est, pro ea quæ nobis suppetit hac de re judicandi ratione, mediæ hujus quantitatis calculum inire. Pauculæ enim sanguinis Unciæ linteo haustæ majorem quam pro vero speciem præbent. Quantitas autem quam Hippocrates λ assignat, viginti nimirum plus minus Unciarum, longe major videtur, quam ut nostri saltem sæculi & cæli mulieribus conveniat. Quinimo haud infirma nobis adsunt argumenta, quibus adducti eam vix tertiam illius quantitatis partem exæquare credamus. Popularis certe noster, idemque accuratissimus & fidelissimus. Observator μ Sydenhamus, non uberiores sanguinis Menstrui copiam facit, quam quæ testa ovi Anserini contineri potest. Et tradit Ballonius ν eam frequenter haud quatuor Uncias excedere. Cum vero tanta in diversis fœminis reperitur varietas, non est quod ex hac vel illa mensura normam statuamus, qua fœminam hanc vel illam justo plenius vel parcius purgari di-

judi-

λ Morb. Mul. Lib. 1. §. 5. μ Process. integ. cap. de Fluxu Mensium immodico. ν De Virg. & Mulier. Morb. p. 107.

judicemus. Hæc quippe res non magis generali aliqua lege definiri potest, quam communis, quique omnibus temperamenti quadret, cibi potionisque modus. Sola igitur via, qua decerni possit an fæminæ alicui redundet vel deficiat profluvium menstruum, est, ut observemus, an ejus quantitas solita copiosior vel tenuior sit, aut ejusmodi quæ cum ipsius sanitate constare possit.

§. 7. Menstrui sanguinis *qualitatem* quod spectat, is in sanis floridi plerumque ac rubicundi est coloris, ut non alius sit toto corpore purior, siue (ut rem exprimit § Hippocrates) qualis ex victima recens mactata effluit. Sed & quædam hic etiam observatur diversitas: nam in quibusdam crassior in aliis dilutior, deprehenditur; memorant & Auctores Menses subalbidos, quorum exemplum exhibet celeberrimus Freind. Quodocunque autem a puro sanguine discrepat humor menstruus, id a pravo corporis habitu omnino pendet, ut optime notat π Hieronymus Mercurialis, *ubi corpus vitiosum est, dico, quod eo in casu sanguis menstruus vitiosus redditur.*

§. 8. Harum nunc omnium *varietatum*, quæ in primæ eruptionis & terminationis tempore, periodis, fluxus duratione, quantitate & qualitate deprehenduntur, *rationes*, ex variantibus in variis fœminis temperamentis, diversoque vivendi genere imprimis petendæ sunt: similiter & fere omnis ea, quæ in eadem fœmina observatur diversitas, ex eodem fonte, id est, mutata corporis crassi, disparique vitæ agendæ instituto, ortum suum habere existimanda est.

§. 9. Recensitis ad hunc modum Menstruorum phænomenis, proximum erat ut ad *rationes eorum Mechanicas* explicandas progrederer. At ardua hæc imprimis, cuique me imparem lubens agnosco, provincia est. Ea scilicet digna est visa, quam in se reciperent duo præclari in Medicina viri, Hermannus Boerhaave & Johannes Freind. Ille in brevi

qui-
 § loco jam citato. • Emmenolog. histor. 2. π De Morb. Mul. Lib. 4. cap. 1.

quidem sed climatissimo π capite, quo de Menstruis agit; Hic (quem nuper defunctum lugent omnes Doctrinae & Artis Medicæ cultores) in accuratissimo suo, cui Emmenologiæ nomen dedit tractatu. Adeo ut si id argumentum mihi tractandum sumerem, nihil certe aliud præstare possem, quam ut ex eorum scriptis rem denuo representarem; atque hoc pacto quoque de primigenia illa, qua nitet apud hos Auctores hæc doctrina, pulchritudine multum diminuerem.

Satius igitur visum est hanc rem intactam relinquere, & ad Mensium *vitia*, *morbosque* inde oriundos me conferre. Ea autem vitia ad duo præcipue capita, Mensium viz. suppressionem & immodicum eorum fluxum, revocari possunt: & ab utroque fiunt morbi notante ϵ Hippocrate. Horum prius sæpius virginibus & sterilibus accidit, posterius iis quæ liberos pepererunt magis est familiare.

C A P. II.

De Mensium suppressione.

§. 10. **P**rimum igitur de *suppressione* nobis agendum. Non est autem quod hic omnes divisiones distinctionesque, in quas eam discescant auctores, percurram. Ea quippe nihil aliud sunt præter varios ejusdem mali gradus. Quod si probe cognitam habeamus Mensium historiam, una cum eorum ex toto suppressorum causis & effectibus, facile negotio cæteros imminutionis gradus, & quæ inde consequi solent, intelligemus.

§. 11. Prius autem quam de præternaturali hac & morbida Mensium suppressione dicere aggrediar, animadvertendum est, *naturale* quoque esse *suppressionis genus*, omnibus foeminis commune, nullique inde nascenti malo obnoxium. Hinc est quod certas quasdam periodos vitæque condiciones cernamus, quibus Menses statuta lege, & natura volente suppri-

B

mun-

π Institut. Medic. ϵ Aphor. §. 5. No. 57.

muntur; cum non minus Naturæ adversum, minusque valetudini incommodum foret, tunc ut fluere, quam alias ut non fluere.

§. 12. Sic *Mulier gravidæ* ex ipsius Naturæ ordine inhiberi videmus Menstrua. Sunt quidem fœminæ nonnullæ, quibus per tres primos menses solito ordine, idque citra abortus periculum fluunt. In quo nempe casu sanguis ex Vaginæ vas provenire videtur. Imo neque defuerunt Mulieres, quibus per totum & graviditatis tempus statas suas periodos fluxus peregerit. At rarissima sunt ejusmodi exempla; neque minus a generali regula hæ fœminæ, quam quibus Menses omnino non obtingunt, sunt excipiendæ.

Sunt quidem *mala nonnulla*, quæ fœminas per quoddam post conceptum tempus comitari vulgo solent. At ea extoto non oriri videntur a Mensium suppressione: invadunt enim nonnunquam statim a conceptu, (qui frequenter paulo post purgationem menstruam accidit) vel saltem ante consuetam, qua fluxus redire solebat, periodum; ac proinde priusquam augeri ita possit sanguis, ut Plethoram gignat. His igitur malis nequaquam obstantibus, mulierum fabricæ *naturale* videtur, ut dum Uterum gerunt, Menses supprimantur. Id vero ulterius adhuc apparet ex periculo quod fluxus hoc tempore, ac præsertim post tertium mensem contingens, tum matri tum conceptui plerumque secum adfert.

§. 13. *Alia Mulierum conditio*, qua Natura certa quadam & definita lege Menses supprimi postulat, est, cum infantibus lactandis dant operam. Si enim hoc tempore promanare contingant, haud parum noxæ, si non ad nutricem, saltem ad infantem inde derivari plerumque deprehendimus. Hac enim ratione vitium fere Lac contrahit: unde infans multis morbis obnoxius redditur, præcipue *cutis defædationibus* & *ulcusculis*, interdum *Diarrhææ* haud facile sistendæ, *Atrophicæ*.

* Fabric. Hildan. Cent. 5. Obs. 41.

phia nonnunquam aut *Epilepsia*, quemadmodum a Mercato
 τ observatum est. *Ex quo vitio*, inquit (viz. Mensibus nu-
 trici erumpentibus) *pueri citra dubitationem vel in Epilepsiam,*
vel scabiem, aut alia mala majore ex parte prolabuntur. Hi au-
 tem morbi statim interdum, interdum non nisi post ali-
 quod tempus, alii citius, alii tardius apparent. Est ta-
 men ubi Menses solenniter & fluunt in lactantibus, scilicet
 gracili corpore præditis & victu pleniore utentibus. Qui-
 bus forte in casibus, nihil inde mali infantibus acciderit;
 quanquam id ab Auctoribus animadversum haud video.

§. 14. *Alia* dein, qua Menses naturaliter supprimuntur,
occafio, est *etas*. Exinde est, quod intra annum quadrage-
 simum & quinquagesimum prorsus inhibeat eorum cur-
 sus, idque sine ulla sanitatis noxa. Non vero inficiandum est,
 haud exigua scæminis interdum circa hoc tempus mala ac-
 cidere solere. Sed eae fere scæminæ ejusmodi sunt, quæ vel
 pravo corporis habitu, vel morbo aliquo determinato antea
 laborarunt, aut quæ certam quandam corporis partem imbe-
 cillam habuerunt. Sic si scæmina leucophlegmatico sit cor-
 poris habitu, ab Hydrope circa hoc tempus ei metuendum
 est. Tumores autem scirrhusi, tametsi per multos antea
 annos, absque insigni aliquo incommodo, corpus occupa-
 verint, sub Mensium cessationem facillime in Cancros se
 convertunt. Aut si Pulmones antea debiles fuerint, a Phthi-
 si periculum erit. Itidem & de aliis morbis, ad quos tem-
 peramentum proclive ferebatur. Atque hac quidem ratione,
 Mensium suppressio etiam juxta hanc Naturæ legem, utpo-
 te quæ diuturnum habitum interrumpit, omni morborum
 generi in corporibus ad eos sponte sua propensis causam præ-
 bere potest. Corpora enim infirma & prava valetudine uten-
 tia videmus ægre pati posse diuturnæ consuetudinis intermis-
 sionem, quam tamen integra & robusta crasi prædita faci-
 le atque sine ullo detrimento valent sustinere. Inde est quod

B 2

fœ-

De Morb. Mul. cap. xv. & Freind. Emmenol. p. 132. Jacob.
 Sylv. Ambian. de Mensibus. p. 165.

foeminae valetudinariae eam, qua menses fluere desinunt, ætatem, omnium tota vita periculossimam experiantur. Quin & a Mauriceau ^o observatum invenio, plures circa hoc tempus fœminas quam alia quaquam vitæ periodo mortem oppetere. Fœminis autem sano corporis habitu gaudentibus citra ullum incommodum terminatur fluxus. Idem scilicet in hac re animadvertere licet, quod in Ulceribus, & Fonticulis, aliisque ejusmodi fieri videmus, quæ si corpus alioquin sanum & robustum nacta fuerint, satis tuto & sine periculo exsiccari possunt: sin vero in corpus imbecillum aliterque male affectum inciderint, eorum exsiccatio omnium fere morborum genera producit. His igitur non obstantibus, quæ hac ætate fit mensium suppressio, *naturalis* statuenda est: mala autem quæ inde nonnunquam subnascuntur, casui solummodo sunt adscribenda. Contra vero, si alia quapiam ætate supprimatur fluxus, renitente natura id fieri, & si inter tot varii generis morbos, quibus exinde fœminæ fere objectantur, incolumis quæpiam evalerit, id fortuito accidisse existimandum est.

§. 15. Neque forte alienum erit hic etiam referre, quod fœminas *post partum*, utique si Lochiorum copia largior fuerit, sæpe per duas vel tres periodos menstrua purgatio destituat. Sic etiam *a morbo*, qui vires earum multum attenuavit, *convalescentibus* tardius redeunt Menstrua. Similiter ab *inedia*, vel *alia evacuatione nimia* imminuuntur vel prorsus supprimuntur. Neque tamen mulieres in his casibus ulla fere a suppressione patiuntur incommoda, sed corpore iterum instaurato ultro plerumque redit fluxus.

§. 16. Denique fœminis nonnullis inhibetur purgatio Uterina absque noxa, quia scilicet hunc defectum supplet *evacuatio vicaria* ex alia quadam corporis parte, Naso puta, Pulmonibus, Ventriculo, Oculis, Auribus, Gingivis, mammarum Papillis, Umbilico & aliis multis

φ par.

o Traite des maladies des Femmes grosses &c. p. 50.

φ partibus, imo & quandoque ex Digitorum extremis †

§. 17. Venio jam ad *præternaturalem & morbidam Mensium suppressionem*. In qua re exponenda, primum ejus *causas*; dein qui eam consequuntur *effectus*, memorabo: postea *prognosin* brevi perstringam; ac postremo *de medendi ratione dicam*.

§. 18. *Evidentes suppressionis causæ* in genere sunt, quæcunque repentinam sub fluxus tempus in corpore mutationem efficiunt, quæ corporis vires paulatim atterunt & prævum ei habitum inducunt, vel denique morbus aliquis uteri singularis.

Causæ, quæ repentinam sub fluxus tempus in corpore mutationem efficiunt, sunt imprimis omnes in *rebus nonnaturalibus errores*. Tales sunt cibi & potus incrassantes, adstringentes, vel nimis crudi; uti Lac, Pisces, Fructus austeri, Acetum, nimius frigida usus &c.: omnia quæ secretionem & excretionem turbant, cujusmodi est frigus perspirationem inhibens: omnes notabiliores juxta periodum evacuationes; [sic venæsectio si instante fluxu vel durante eo instituta fuerit, morbidam & interdum suppressionem inducit, aliquando profluvium per unam tantum aut alteram periodum inhibet, nonnunquam vero si aliquot ante periodum diebus sanguis mittatur, neque mensium cursum interrumpit neque eorum quantitatem minuit: denique omnes vehementes animi affectus, ut inopinatus terror, mæror, ira &c. Hæ aliæque ejusmodi causæ, si instante periodo contingant, fluxum inhibere, si fluxus tempore, eum protinus sistere possunt. Ut enim circa hoc tempus plus fere minusve corpus perturbatur, ita facilius istis quantumvis parvis mutationibus afficitur, quas alias absque ullo incommodo pati potuerat. Eodem plane modo quo in morbis acutis, cum natura crisis meditatur, exiguus aliquis casus ejus consilium frustrari, fa-

B 3

talesque

φ vid. Sennert. & passim apud Observatores. † Mercat. Morb. mul. lib. 1. cap. 7. & Forest. lib. 28. obs. 3. * Freind. Emmenolog. p. 64.

talesque secum effectus trahere potest. Hic tamen notandum est causas hasce, pro variis corporum crasibus effectus sortiri multum diversos. Sic fœminis quæ debiles & tennellæ sunt, vel minima ex his causis suppressionem adferre potest. Earum enim corpora circa hoc tempus valde delicata sunt, summaque cum cura tractari postulant. At in mulieribus athleticis & duro labori assuetis, haud facile ex erroribus in rebus nonnaturalibus supprimi solet fluxus menstruus.

Causæ quæ corpus debilitant, pravumque ejus habitum proinde & mensium suppressionem inducunt, sunt innumeræ. Huc referri potest diuturnus non naturalium abusus. Possem etiam inter suppressionis causas recensere omnes propemodum morbos: idque non minore cum ratione quam Auctores solent, qui Menses suppressos inter omnium fere morborum causas enumerant. Et hæc quidem alia aliorum diversis temporibus causæ vel effectus esse possunt. Sic ubicunque præcedit pravus corporis habitus, solitus ejus effectus est, ut Menses supprimantur, eadem scilicet ratione qua alias excretiones turbat. Si vero prior occupaverit, & longiorem moram traxerit Mensium suppressio, pravum corporis habitum consequi necesse est. Hic autem observare licet, quod uti suppressio diu interdum priusquam pravum corporis habitum inducat, perseverat, ita & corpus nonnunquam longo morbo extenuatur & debilitatur priusquam Menses supprimantur. Sic ego Mulierem juvenulam vidi Phthisi Pulmonali in ultimo stadio laborantem, & insignibus colliquationibus contabescentem; cui tamen Menses statas suas vices obeuntes ad extrema fere vitæ spatia perstabant. Verum hoc raro contingit, frequentius enim sub ejus morbi initium sistitur fluxus.

§. 19. His de causis suppressionis præmissis, proximum est, ut ejus effectus perpendamus. Hic autem eos potissimum qui usitatiores sunt, memorabimus. Qui enim omnes enumerare voluerit, ei omnium fere morborum, neque simplicium

plicium modo, sed eorum quoque qui alii cum aliis conne-
xi atque innumerabiles sunt, catalogus erit conficiendus. Cæ-
terum de effectibus iis agemus tanquam suppressioni paulo
simpliciori, ubi & antea corpori sua utcunque sanitas con-
stabat, supervenientibus. Si enim corpus morbo ante cor-
reptum sit, tum ea oritur suppressionis atque prioris morbi
effectuum conturbatio, ut eos alios ab aliis dignoscere diffi-
cile sit. Quod si in longi alicujus morbi decursu corpori jam
labefactato suppressio accesserit, haud ut morbus ea spectan-
da est, vixque aliis symptomatibus, præter ea quæ ad prio-
rem illum morbum pertinent, comitatur.

Consuetissimi simplicioris suppressionis effectus sunt Chlorosis,
& Affectio Hysterica dicta. Hujus adeo varia sunt & multi-
formia symptomata, ut (quemadmodum monet immortalis
a Sydenhamus) *nullus non æmulentur ex iis affectibus quibus atte-*
runtur miseri Mortales. Tantus eorum numerus, tantaque
inconstantia, ut nulla corporis pars ab eorum aggressibus
sit immunis. Modo hanc invadunt, mox in alteram migrant.
Hodie tanta violentia discruciant, ut ægra, iis saltem,
quibus id genus morbi minus sit perspectum, ultimum qua-
si spiritum trahere videatur: & tamen, nec longo post tem-
pore, postridie forsan, integra fere valetudine fruitur. Hæ
autem omnes vicissitudines citra ullum ordinem, aut unde-
cunque apparentes causas eveniunt. Atque hujusce varietatis
& inconstantiae observatio, una est atque inter præcipuas,
qua hunc ab aliis morbis, quos tam proxime aliquando men-
titur, internoscamus, via.

Particularia autem & Mensium suppressioni laborantibus
maxime familiaria symptomata hæc sunt: gravitas & lassitudo
per totum corpus, dolores in variis partibus, præsertim in
capite, circa lumbos & inguina; languor, debilitas, moven-
di difficultas; primarum viarum perturbationes, uti dyso-
rexia, dyspepsia, pica, nausea, vomitus, cardialgia, ructus
acidi, tormina ventris flatus &c.: color in toto corpore palli-
dus, pedum & crurum tumores & varices: pectoris angustia,
spi-

a Dissertat. Epistolar. de Affect. Hysteric.

spiritus difficultas, tussis, cordis palpitatio, spasmi, uti globus quasi in gutture sursum reptans, frigoris calorisque vicissitudo & alia multa. Atque (ut uno quasi verbo, cum magno β Boerhaavio omnia comprehendam) *depravatae functiones omnes fere naturales, vitales, animales.*

Ex his symptomatis *plura* hanc ægram, illam *pauciora simul occupare solent*, ut in aliis morbis fere accidit. Dum enim morborum enumerantur symptomata, minime intelligitur ea omnia in uno & eodem ægro semper reperiri, sed ea quæ frequentius occurrunt symptomata esse.

Sunt ea etiam in ægris diversis *nunc magis nunc minus violenta*. Quin & in eadem ægra variant, interdum remittentia aut prorsus intermittentia, ac postea revertentia. Dum enim adhuc recens suppressio est, vulgo sub statæ periodi tempus (uti γ Hippocrates docet) acrius insurgunt. At ubi suppressio inveteraverit, symptomata hæc nullam certam legem, aut periodorum rationem observantia, modo remissius, modo intensius urgent.

Symptomata porro interdum *citius* interdum *serius* suppressioni *succedunt*. Ita, cum Menses fluxus tempore subito restricti fuerint, *illico* ægram violentissima nonnunquam symptomata corripunt, qualia sunt horripulatio, spasmi, anxietas & circa præcordia &c. quæ aliquando & lethalia esse fuere: alias *tardius mali quid* persentiscunt, quandoque sub reditum proximi periodi, aliquando non nisi post duas vel tres periodos, interdum longiore adhuc intervallo ζ .

Cum suppressio & solita ejus symptomata *diu perstant*, corpus sensim atterunt, & symptomata hysterica (quibus non alia magis, Medicorum consilia, vimque medicamentorum frustrantur & eludunt) altius radices agunt, aliique jam propriam formam adepti morbi, qui ægre admodum tolluntur, corpus occupant. Hujus generis sunt Cachexia, Hydrops, Atrophia &c. Et hi paucorum interdum mensium spatio (uti

β Aphor. 1285. γ Morb. Mul. lib. 1. §. 5. δ Forest.
Lib. 28. Obs. 2. ϵ Id Lib. 28. Obs. 3. ζ Freind. mens.
suppress. Histor. 3.

me observare memini) invehuntur : frequenter tamen suppressio cum assuetis suis symptomatis multo longius durat antequam tales morbos inducat, interdum etiam per annos aliquot ac tandem medicamentorum ope prorsus summovetur. Cum autem alius morbus, uti Aqua intercus &c. supervenerit, non amplius tanquam Mensium suppressio spectandus est, neque eodem modo quo hæc, quanquam ea origine ortus, tractandus. In Mensium enim suppressione, ut & in multis aliis morbis, Phthisi puta &c. varii ejus gradus tot quidem morbi sunt : etsi ad confusionem vitandam, morbum aliquem toto suo decursu eodem nomine frequentius appellamus, alios autem morbos ei supervenientes Symptomata tantum dicimus.

Sunt porro, præter hætenus enumeratos, alii *rariores & magis singulares* morbi, ex mensium suppressione interdum orti. Ex his quidam insanabiles sunt ut Scirrhus, Cancer, & Gangræna uteri &c. Alii interdum talis indolis, ut, quamvis antea tolli nequiverint, redintegrato tamen corporis habitu, mensibusque reductis, sponte sua evanescant. Hujus generis apud Cl. Freind α exemplum habemus, haud vulgarem *tibiæ tumorem*. Plures etiam alios morbos rarius inde ortos apud Observatores reperire est, ut β Epilepsiam, γ Maniam &c. Et novi adhuc suppressionis effectus, pro variis corporum temperamentis, cuilibet usu occurrent. Aliis enim ægris plura, aliis pauciora, ex eadem causa orta, mala simul obveniunt : in aliis atque aliis hoc vel illud symptoma, pro propria cujusque corporis indole, præviaque ad hunc vel illum morbum proclivitate, se ostendit. Cum enim corpus aliqua sui parte infirmum est, (& ut notat δ Celsus, *raro quifquam non aliquam partem corporis imbecillam habet*) aut ad certum aliquem morbum propensius inclinatur, promptius faciliusque, interveniente casu aliquo, in hac quam ulla alia parte, & hoc quam alio quovis morbo afficitur. Atque hinc est quod in diversis hominibus ex frigore suscepto adeo

C

di.

α Idem ibid, β Timæi Cas. Medicinal. lib. I. Cas. 12.
 γ Forest. lib. 10. Obs. 24. δ Lib. I. cap. 3.

diversos videamus exoriri effectus. In alio quippe Febrem simplicem, in alio Anginam, Pleuritidem vel Rheumatismum; in alio Coryzam, Catarrhum, seu Diarrhoeam; in alio denique Paralyfin &c. gignit. Haud aliter se res habet in mensium obstructione, utpote quæ in diversis temperamentis, omnibus ferme morborum generibus occasionem præbere possit. Ex hac ratione Auctoribus tritum & communi usu receptum videmus, ut, cum omnium fere morborum, five acutorum, five chronicorum causas enumerant, mensium suppressionem eodem referant; ac nominatim inter causas Pleuritidis, Apoplexiæ, Podagræ, Phthiseos &c. eam reponant. Neque dubium est quin ad hosce morbos generandos ea operam suam conferre possit. Rarius tamen accidit ut hi ab illa originem ducant. Quodocunque autem id fit, ab ea tanquam causa duntaxat socia, (quæque nisi aliæ circumstantiæ in corporibus ad istos morbos antea præparatis una adessent, talem effectum non edidisset) provenire videntur. Alii vero isti morbi, viz. primarum viarum perturbationes, Chlorosis, & affectiones hystericæ, mensium suppressionem tanquam adæquatam & propriam causam agnoscere videntur: hi enim certius constantiusque, & in omnibus temperamentis majore minoreve gradu, eam comitari deprehenduntur.

§. 20. Ad *Prognosin* quod pertinet vix quidquam est quod de ea explorete affirmare liceat. Generatim vero pronunciare possumus, quod quo diutius suppressio duraverit, & quo plura eam symptomata consequuta fuerint, eaque violentiora extiterint, eo pejus: & contra. Prognosis enim nihil aliud est, quam ea, quam libratis hinc inde bonis & malis symptomatibus, de morborum eventu ferimus, sententia. Ea vero symptomata adeo inter se permista varieque complicata plerumque inveniuntur, ut, quid in casu aliquo singulari certo eventurum sit, difficile admodum statuatur: quanto autem difficilius, regulas tradere, ad quas omnes omnino casus, & omnes, quæ in ægris occurrunt, symptomatum combinationes, referri possint. Quod si talem aliquam nor-

mam

nam constituere velimus, necesse est ejusmodi sit, ut ejus ope non tantum de hac ipsa suppressione, verum etiam de morbis eam comitantibus judicari queat. Sed cum hæc ad particularem istorum morborum pertractationem potius referenda sunt, ita iis hoc in loco omisissis, id tantum notabimus; quod cum simplex suppressio est, plerumque satis facilis, si remedia tempestive adhibeantur, ejus cura sit; cum vero aliis est complicata, pro aliorum, quibus conjuncta est, morborum natura, magis minusve difficilis ac incerta Prognosis fiat.

§. 21. Jam ordo deposcit ut ad *curationem* deveniam. Pleniorum autem, & qualem meretur argumenti dignitas, hujus rei tractationem vix patitur instituti ratio. Quare satis mihi erit varias eas, quæ pro variis circumstantiis prosequendæ sunt, medendi vias paucis ac summatim perstringere, nudamque fere remediorum quæ in hunc finem vulgo præscribuntur, enumerationem facere.

§. 22. Ex iis, quæ de ingente causarum & effectuum suppressionis varietate dicta sunt, plane consequi arbitror, *nullam* posse *generalem*, quæque omnibus casibus inserviat, *methodum* statui; verum eam pro rerum varietate variam esse debere.

Sic v. g. cum Menses fluxus tempore *subito* restricti fuerint, opera danda est ut eos quamprimum reducamus, per fatus, frictiones, pediluvia, semicupia & similia, vel per venæsectionem in saphæna, clysmata emmenagogica, Emmenagoga per os sumpta, vel sudorem excitando, quod Forestus & sibi feliciter cessisse hoc in casu testatur. Atque, ut obiter id attingam, hæc quæ sanguinem deorsum derivant, si solito fluxus tempore adhibeantur, sola fere videntur remedia, quibus Uterina purgatio, cum ea supprimitur, defectusque vicaria aliqua evacuatione suppletur, naturali suo cursui reduci potest. Quod si ea deficient, aut si quid in

C 2

Utero

Utero vitiatum, quod Menses eo fluere prohibeat, signo aliquo appareat; tum desistendum, nec turbanda ea est, quam huic defectui supplendo Natura invenit, via.

Contra, cum obstructio *ex pravo corporis habitu* originem traxerit, aut diu perseverando *eum* invexerit, irritum prorsus labore fluxum reducere conabimur, donec in integrum restitutus fuerit corporis habitus: neque tutum est ulla remedia, ad Menses ciendos, nisi hoc prius facto, adhibere. Prima igitur hoc in casu cura est, idonea aliqua & ad singulas circumstantias accommodata ratione, habitum corporis emendare: quo præstito, spes est fluxum sponte sua reversurum. Quod si ea non respondeat, tum tempus est, appositis ad eam rem remediis, Mensium reductionem conari.

Similiter si certus aliquis morbus uti *Aqua inter cutem* &c. accesserit, congrua medendi methodus est, ut is morbus, nulla habita Mensium ratione, sed eodem modo ac si inhibiti haud fuissent, depellatur: ut optime a Paulo Ægineta monitum. *Quum igitur* (inquit ille) *ob aliquam partium internarum primariam affectionem abscinditur aut remoratur muliebris purgatio, nihil neque præstantius neque utilius, quam membri statim peculiari vitio mederi, atque post hæc Uterum sui muneris admonere.* Tali enim in casu fieri non potest ut fluant Menses. Nec si posset, ita tolleretur Hydrops, sed potius augeretur. Omnes quippe sanguinis evacuationes solidorum vires minuere, & quod sanguinis reliquum est, tenuius magisque aquosum, motumque ejus languidiorem reddere experimur. Propterea in morbis inflammatoriis, venæsectio eum ipsum in finem instituitur. In Hydrope vero, plus nimio jamdudum hic status rerum obtinet. Idcirco quamvis Mensium obstructio Hydropi causam dederit, qui tamen Hydropis sanandi ergo, eos reducere, aut eorum defectum venæsectione supplere adnixus fuerit, is utique pravo & præpostero instituto rem aggredi censendus est. Pari enim nec pejore consilio Hydropem quis ex *febre* vel *spirituosorum liquorum potatione* contractum, refrigerantibus & diluentibus

po-

poculis ægro ministrandis; vel Pleuritidem quod eam *frigus* genuerit, calidis & stimulantibus medicamentis adhibitis, sanare tentaverit.

Rursus cum suppressio ex *magna aliqua evacuatione* orta fuerit, id primum curandum, ut damnum inde datum resarciatur, corpusque ad pristinum suum statum reducatur.

Itidem, cum ex aliquo Uteri, Vaginæ &c. *morbo* ortum suum duxerit, is primum, si fieri possit, amoliendus est: secus enim irritato conatu fluxus reductio tentatur.

Denique, ut ingenere rem complectar, cum morbus quivis, vel unum aliquod symptoma suppressioni comes adhæserit, unde *gravius* quam ab ipsa suppressione ægræ *periculum* immineat, eorum curatio præcipua habenda est, & omnimoline tentanda, etiamsi talem methodum postulet, quæ suppressionis amovendæ consilio adversetur. Sic si dum Mensibus reducendis operam damus, morbus aliquis acutus insurgeret, ad eum tollendum curam nostram e vestigio convertere oportet. Neque in his casibus venæsectionem reformidabimus, (quatenus ægræ vires id patientur) etsi forte primæ nostræ suppressionis curandæ intentioni repugnaret.

Cum prædicti illi similesque *morbi depulsi* fuerint, *corporisque* quantum sat erit, *instauratus habitus*, si Menses sua sponte non redierint, eos quamprimum reducere ex artis præscripto adnitendum. Pari modo cum *obstructio simplicior* fuerit, neque tam diu durarit, ut corporis habitus inde depravaretur, sed tantum inordinata quædam symptomata hysterica, aut primarum viarum affectiones secum traxerit, quo maturius evacuatio menstrua reducta erit, eo melius.

§. 23. Jam restat, ut *remedia* ad Mensium obstructionem præscribi solita commemorem: ita tamen ut certos casus, quibus hoc illudve, non vero aliud, adhiberi debeat, neutiquam mihi assumam definiendos. Alias enim referenda mihi essent certa ea signa, quibus varia in diversis casibus solidorum & fluidorum vitia dignosci queant: modusque porro esset constituendus, quo singula ea remedia in vitiis hisce

corrigendis operam suam conferunt. Satis autem constat me hæc omnia attingere non posse.

Ex Mensium suppressorum remediis nullum est quod frequentius auctores inculcant quam *Venæsectionem*. Magnæ tamen inter eos agitatæ sunt lites, quo potissimum tempore, & ex quam corporis parte, an scil. superioribus vel ex inferioribus extremitatibus sanguinem mitti conveniat. At plerique consentire jam videntur, ex utrisque partibus pro diverso rerum statu recte id fieri. Sic ad magnam Plethoram minuendam, Cubiti venam secari imperant, ad sanguinem vero deorsum derivandum, Saphænam.

Ad idem etiam sanguinis deorsum derivandi consilium præscribi solent, *frictiones* & *cucurbitulæ* inferioribus extremitatibus applicandæ. Dein ad vasa laxanda, & sic quoque sanguinem ad inferiora trahendum, adhibentur *fomenta*, *vapores*, *pediluvia*, *femicupia* &c.

Aliud, quod vulgo præcipiunt remedium est *Purgatio*. Sæpe ab hac curandi initium fit. Interdum tamen primarum viarum affectiones vomendum primum indicant. Ex purgantibus, quæ validiora sunt, hoc in casu potiora habentur, (si iis ferendis ægræ vires sufficiant) ea scil. quæ appellantur Hydragoga; ut Aloe, Jalappium, Scammonium, Colocynthis &c. cum Mercurio dulci: quod hæc non solum primas vias abstergere dicantur, sed etiam in sanguinem se insinuare, & ejus lentorem dissolvere, velocitatemque augere, ac intestina stimulando derivationem deorsum facere. Neque alienum forte erit prius adhibere, vel hisce purgantibus pro re nata admiscere, salem Tartari, saponem Venerum, vel Tartarum vitriolatum &c.

Post Cathartica, prout opus fuerit, adhibita, medicamenta *Emmenagoga* dicta in auxilium vocantur: aut ex his quædam Catharticis interdum commiscentur. Hujus generis sunt Gummi Galbanum, Myrrha, Opopanax, Sagapænum, assa fætida &c. Radices Bryoniæ albæ, Levistici, Rubiæ Tinctorum, Curcumæ, Aristolochiæ utriusque &c. Folia Rutæ, Artemisiæ, Matricariæ, Sabinæ &c. Crocus. Bo-
rax.

rax. Sal Succini. Castoreum & multa alia. Neque inter Em-
menagoga ultimum locum meretur Chalybs. Haud temere
enim ex iis ullum invenietur præsentius remedium, five ejus
limatura sumatur, vel Tinctura cum vino Rhenano pa-
rata, vel Martis vitriolum.

Omnibus hisce medicamentis adjungenda est moderata cor-
poris exercitatio, præcipue Equitatio, quæ quidem in omni-
bus fere morbis chronicis, inter omnia remedia primas sibi
merito vendicat.

§. 24. Si quorumlibet horum remediorum ope Menses ad
fluendum perducti fuerint, ab iis fluxus tempore ægra ab-
stinere debet, posteaque, si res ita tulerit, eadem repetere.
Convenire saltem videtur, ut aliquo ante proximam perio-
dum tempore repetantur, & hac ratione quoad fieri potest,
Menses ad debitum ordinem revocentur.

Mensibus ad hunc modum reductis, Symptomata, quæ
eorum suppressionem comitabantur, omnia evanescunt: &
quidem plerumque ante Mensium reditum, ea multum im-
minuta, si non penitus deleta sunt.

C A P. III.

De Mensum Fluxu immodico.

§. 25. **A**d alterum illud jam progredior, de quo dicen-
dum proposui, Mensium vitium, *immodicum*
nimirum eorum *fluxum*. Sed in hac re eo paucioribus me
desungi oportet, quod hanc Dissertationem in molem jam
nimis magnam videam excrevisse.

§. 26. Fluxus immodicus statuitur, *ex majore*, quam alias
solebat esse, *ejus copia*, & *ex symptomatibus* quæ cum comi-
tantur. Nam, ut supra diximus, quantitas in se spectata,
haud certa norma esse potest hanc rem dijudicandi: eo quod
non solum alii foeminae uberior, alii parcior sit Mensium
copia

copia usitata, sed etiam quod una eademque foemina, quibusdam in casibus, solita majorem evacuationem absque ullo sanitatis dispendio, sustinere possit.

Ita si foemina *pleniore victu*, vel *parcioris exercitio* quam alias consueverat, per aliquod tempus usa fuerit, largior ei caeteris paribus accumulabitur sanguinis quantitas, ac proinde citra ullam noxam major mensium quantitas fieri potest.

Iterum, cum in *morbis acutis* Menses per modum Criseos fluunt, major nonnunquam copia, quam quae sanæ & integræ fluebat, potest esse, nec tamen immodica quia nullum inde malum consequitur.

§. 27. Caeterum fluxus immodicus esse potest, si sanguis majore copia, quam alias solet, *subito* fluat; aut quamvis tarde fluat, si *diu* tamen duret; aut si periodi solito *frequentius* recurrant.

Interdum per longum tempus sine lege fluit, per multos scil. dies, hebdomadas, menses, imo & annos & aliquot, nunc intermittens, mox rediens, nulla periodo servata. Aliquando etiam, licet raro, foeminis post abruptum per aliquot annos Mensium cursum, contingit. Sic foeminam novi septuaginta prope annos natam (cui Menses ante multos annos fluere desierant) quae absque ulla apparente causa, in immodicum incidit fluxum, qui Hydropem, quo extincta est, invexit.

§. 28. Immodici fluxus *causae* in genere sunt, omnia corporis habitum, & speciatim uterum labefactantia; vel quae majorem in uteri vasis, quam cui sustinendo paria sunt, sanguini impetum impertiunt.

De *prioribus* nihil est quod hic aliud addamus, quam ut observemus eandem causam quae uni foeminae mensium adfert suppressionem, alteri fluxus immodici occasionem præbere posse.

Præcipuae, quae *uterum* nominatim *ledunt* & *debilitant*,
causae

* Freind. Histor. 1. fluxus immod.

causæ sunt, abortus, partus difficilis, retentæ secundinæ, lapsus, ictus inferiori ventri incussus, inflammatio prægressa, *scirrhus* aut ulcus in utero &c.

Quæ *sanguini* in uteri vasis *majorem impetum* impertiunt, sunt violenti vicinarum partium motus, ut vomitus enormis, sternutatio & immodica, stimulus a violento colico dolore aut tenesmo &c. datus: cuncti ingentes animi affectus, motus aut æstus nimius, cibi & potus nimis stimulant, frigus superioribus corporis partibus veluti subuculas madidas induendo susceptum, medicamenta emmenagoga alieno tempore adhibita, & multa alia, præsertim si durante fluxu contingant.

§. 29. *Symptomata* immodicum mensium fluxum comitantia, *diversa* sunt, prout is *subitus* & *recens* fuerit, vel *tardus* & *inveteratus*: ex majore tamen parte eadem sunt, quæ aliis ejusdem quantitatis ejusdemque durationis hæmorrhagiis contingunt, nisi quod cum hysterico genere magis forte participant. Sic cum *subitus* & *copiosus* est, ejus comites sunt languor, pallor, cordis palpitatio & anxietas, syncope, magna imbecillitas, pulsus debilis & intermittens, sudor frigidus, convulsiones &c.

Cum vero *tardus* est & *diu durat*, corpus pedetentim debilitat, & paulatim symptomata inducit jam memorata, & interdum generis nervosi sensum acutissimum creat; dein viscerum functiones depravat, secretiones & excretiones turbat, unde oriuntur humorum cruditas, cachexiæ, tumores leucophlegmatici, hydrops, fluor albus, colliquationes, febris hæctica, atrophia &c.

§. 30. *Morbi Prognostica*, ex ægræ ætate & temperamento, ex singulari, quæ eum genuerit, causa, ex tempore quo duraverit, ex symptomatis quæ eum sequuta sint, aliisque circumstantiis inter se collatis, desumenda sunt.

§. 31. *Intentiones curativæ* sunt, causam submovere, fluxum sistere, symptomata inde ortadepellere, ægræ denique vires ita reficere ut morbi reditus præcaveatur.

D

Ut

Ut autem his intentionibus satis fiat, *methodi* multum *diverse* pro morbi causa, duratione, aliisque circumstantiis adhibendæ sunt.

Ita, cum morbus adhuc *recens* est, atque ex *lapsu*, vel *ictu*, ex nimia sanguinis *copia*, vel nimio ejus *motu* aut *rarefactione* originem ducit, venæsectio omnino necessaria est. Contra, si morbus *inveteraverit*, aut *imbecillus corporis habitus* ei causam dederit, intempestivæ sunt omnes evacuationes, curandique methodus eo unice dirigenda est, ut corpori suum robur restituatur.

§. 32. Curationis initium a *revellentibus* esse faciendum vulgo præcipiunt Auctores, viz. per venæsectionem, frictiones, ligaturas, & cucurbitulas partibus superioribus applicandas.

Ad *venæsectionem* autem quod attinet, curandum ut ea caute admodum, vixque aliis forsan, præter jam memoratos, casibus, rarissime vero unius revulsionis gratia, adhibeatur. Si enim ægra, aut antea imbecillis, aut sanguinis dispendio multum debilitata fuerit, inepta prorsus sive in hac, sive in aliis hæmorrhagiis venæsectio est. Sic si ægrum, cujus corpori vel Hydrops vel Phthisis Pulmonalis diu insederit, *hæmorrhagiarum* corripuerit, nequiquam sane congruum foret, exiguas illas virium reliquias sanguinis missione adhuc imminuere. Aut si æger antea sanus, repentina aliqua & larga sanguinis profusione, adeo debilitatus fuerit, ut ad syncope, convulsiones &c. perductus sit, admodum certe periculosa venæsectio fieri necesse est. In omni igitur immodico mensium fluxu, haudquaquam promiscue imperanda est venæsectio, verum accurate perpendere oportet ægræ statum: in quibusdam quippe casibus permagni momenti remedium est; in aliis autem adeo non juvat, ut morbum augeat.

Frictiones, *ligaturæ*, & *cucurbitulæ* tutius applicari videntur, sed his ne nimis confidendum: in subito quidem fluxu nonnullus eorum potest esse usus, quare haud negligenda sunt; at iis ut curationis summa credatur, nulla prorsus ratione committendum.

De

De *Purgatione* in hoc casu notandum est, quod hæc caute, & ex lenioribus solum medicamentis adhiberi debeat, ne hoc stimulo adaugeatur fluxus. Et majus quidem ex purgatione, in hac, quam in aliis, ut nasi vel pulmonum hæmorrhagiis, periculum instare videtur, eo quod Uterus, ex ipsius situ, stimulis intestinis facilius afficiatur.

§. 33. Alia demum remedia, quibus adversus hunc morbum uti solent Medici, sunt cibi & medicamenta ex *refrigerantibus*, *roborantibus*, *incrassantibus* & *adstringentibus*. Et ex his eligenda sunt vel leniora, vel validiora, prout casus magis minusve urgere visus fuerit.

Ita si fluxus non valde magnus, nec symptomata vehementia sint, curationem inchoare conveniet a *dieta roborante* & *incrassante*. Pro cibis scil. sumat jura & gelatinas, quæ ex vitulorum carne vel pedibus, aut ex rasura Cornu Cervi, Eboris, Ichthyocollæ &c. conficiuntur: vel sumat Lac, Albumina Ovorum, Cochleas terrestres, Oryzam, Milium, Sagou, Chocolatam &c. Potus autem sit, Decoctum album, Emulsiones, vinum rubrum aqua dilutum &c. His adjungi possunt *Medicamenta* ex Gummi Arabico, Tragacantha, Amylo, radicibus Althææ, Symphyti majoris, Sigilli Solomonis, & similibus.

Quod si hæc minus votis respondeant, aut si casus in initio importunior sit, tum ad Adstringentia statim confugiendum. Qualia sunt Cortex Granatorum, Quercinus, Tamarisci, Radices Bistortæ, Tormentillæ, Flores Rosarum rubrarum, Balauſtia, Sanguis Draconis, Bolus Armena, Lapis Hæmatites, Saccharum Saturni & inde parata Tinctura Antiphthifica dicta, & alia multa.

Hæc & similia *interne sunt sumenda*, quædam etiam & *externe* per modum fatus, suffitus &c. adhiberi possunt.

Simul cum Adstringentibus interdum pro re nata dari potest *Opium*, nisi signo aliquo se prodatur sanguinis rarefactio: tum autem forte ex usu erunt spiritus acidi, uti Sulphuris per Campanam, vel Vitrioli; Tinctura quoque Antiphthifica, ut & Cortex Peruvianus.

§. 34. Dum Curatio hac ratione nititur, rite moderandæ sunt *res nonnaturales*: sic v. g. quietem tum animo tum corpori, quantum fieri potest, conciliare oportet; caveat ægra calorem nimium tam lecti quam foci, & sic de cæteris.

35. Si, quæ comitantur, *symptomata vehementia* sint, præcipua eorum non minus quam profluvii habenda ratio est.

Ita si *dolor ingens, languor, anxietas, syncope* &c. adfuerint, danda erunt medicamenta anodyna, cardiaca, & antihysterica; sed hæc ita lenia, ut fluxum non augeant: ne, dum levare mala studemus, ea majora reddamus.

Si *lassitudo & debilitas* circa *Lumbos* extiterint, applicari possunt Emplastra roborantia, uti de Minio, ad Herniam, Defensivum &c.

§. 36. Postquam fluxus cohibitus, & gravia symptomata sublata sunt, reliquum negotium erit, ægræ *vires* per victum analepticum, modicum sed cautum exercitium &c. refocillare.

§. 37. Atque sic tandem huic Dissertationi finem facimus, postquam id tantum animadversum fuerit, quod in morbo aliquo tractando, necesse plerumque sit multorum aliorum mentionem facere: idque ob duplicem rationem. Primum, propter cognationem eam, qua morbi inter se juncti sunt, prout alii aliorum vel causæ vel effectus esse possunt: sic Febris nonnunquam Hydropem gignit, & hydrops cum ad mortem tendit, febrem adferre solet. Deinde, propter analogiam sive similitudinem, quæ morbo alii cum alio intercedit. Sic si de inflammatione, abscessu, vel ulcere internam aliquam partem occupantibus agendum esset; ea cum eisdem in externis partibus morbis conferre, atque per eos illustrare oportet; subdacta tantum, pro singulari structura, situ, & munere partis affectæ, ratione.

Atque hæc Analogiæ methodus, si rite adhibeatur, unum est, idque ex firmissimis, fundamentum, cui nostra in rebus medicis ratiocinia inniti queant; & si accurata observatio accesserit, sola fere est atque unica via cognitionis nostræ in morborum indole & curatione promovendæ.

F I N I S.